

quam unius efficaciam demonstrat *Gabriel. Vasquez. Tom. III in III. P. Thomæ. Quæst. 80. artic. 12. Disp. 215.* Ergo dignior & abundantior est gratia quæ sub utraq; specie confertur. Ergo vel propria confessione maximam partem Christianorum in ecclesia sua viventium privant gratia necessaria, illamq; impie coarctant, atq; ita suo se gladio jugulant.

(2) Videmus quod aperte Pontificii, in divinæ gratiæ, quæ in dignitatem suam præfati gratulabundis ulnis excipere debebant, exosculantes ardentissimum Dei in genus humanum amorem, dispensationem sibi arrogant, atq; adeò aperte *προσωπώληπτας* se faciant, dū Regibus iis, quid dignitate, quicquid potentia, qui opibus eminent concedi debere postulant quod servis, quod infimæ conditionis hominibus, non item faciendum sit, contra quos Paulus in Epist. ad Gal. 3. v. 28. *Non est Judæus neq; Græcus, non servus, sed omnes unum estis in CHRISTO JESU.* Quanto religiosior Catharina Regina Gallia, Henrici II. vidua, quæ non contenta quod Reges solum eo privilegio gauderent, sed insuper, uti par est, qui eis parerent, Christianum nomen professos omnes, convivias coelestium harum epularum ex æquo pascendos volebat, quod patet ex epistola ejus ad Pontificem *Pium VI.* anno 1561, quam exhibet Hist. suæ Libr. XXVII. p. m. 560. *Thuanus*, ex quo illam bonâ fide hic adducere libuit, atq; adeò finem nostræ disquisitioni imponere, Deum calidissimo voto venerati ut verbi puritatem & Sacramentorum integritatem in solidissimum solatium animarum nostrarum clementer conservare non dedignetur.

Regina de rebus Protestantium in speciem sollicita ex Io. Monlucii Valentini episcopi, ut creditur, consilio prolixas ad Pontificem dat litteras prid. Non. V. til. quibus proposito ante oculos regni ob religionis disfidium periculo eum ad remedia mature adhibenda hortatur, nam multitudinem eam esse illorum, qui se ab ecclesia R. separaverunt, ut jam legibus ac ferro

coer-